Punctum or place of nouriſhment: Elſe I do not ſee why they ſhould not be adhering to the Womb from the firſt Conception, or why (as I have ſaid) many hundreds of them are not conceived and formed together, *&c.*

Obſervatio Mercurii ſub Sole viſi, ultimo Octobris 1690. Stil. vet. habita Noribergæ ab Aſtronomo accuratiſſimo Johanne Phil. Wurtzelbaur, atque ab eodem cum Reg. Societate communicata.

MErcurius ſub Sole inque ejus diſco, hoc ſeculo vix aliquoties ope Teleſcopii, ante hujus inventionem autem ab orbe condito nuſquam gentium obſervatus eſt. Sub finem Octobris labentis hujus anni denuò obſervandum ex. Tabb. Rudolphinarum calculo celeberrimi Logiſtæ predixerunt. Cùm verò nemo qui delicias Uraniæ vel primis deguſtârit labris, rariſſimum hujuſmodi & jucundiſſimum Phænomenon contueri non ſummâ aviditate exoptâret: eo ipſo & ego invitatus illi obſervando invigilare decrevi, nihil morans, quòd cœlum jam ab aliquot ſeptimanis nube ferè continuâ obductum vix aliquid ſpei ſucceſſus optati conceſſerit: Præcedentis equidem diei veſpera noctiſq; primordia nubes aliquantulum diſſipârunt, ſed nox adulta Cœlum ab omni parte denuò obvelavit, ut hora ante Solis exortum totum obductum extiterit, nec ipſemet Sol jam ſatis elevatus ſuis radiis invidos hoſce vapores penetrare valuerit: Paulò verò poſtquam Zephyri à parte occiduâ Horizontem repurgare cœperunt, ingruent illinc ſerenitas addidit animum, ut voti compotem me futurum haud amplius deſperaverim; nubes etiam in plagâ orientali retro cedere, & ad Horizontem conſtipari videns, Tubum illò ubi emerſio Solis è nebulis expectanda erat direxi;

direxi; & poſtquam emergens ejus diſcus ad tabulam obſervatoriam affluxerat, illum ſupernè macula quadam mediocri affectum animadverti, quam etiam niſi præſentia Mercurii expectanda fuiſſet, nec illa motum ſuum ſatis evidenter accelerawiſſet, pro ſolari arripuiſſem. Sed utinam paulò citiùs Sol è nebulis evaſiſſet, ut Mercurii viam itinerariam & angulum orbita ejus cum Eclipticâ notare licuiſſet; nam diſtantiam vix ultra dimidium à limbo digitum jamjam exiturum deprehendimus: acceſſit etiam auræ haud ſatis defæcatæ incommodum. Diſcus enim Solis ceu trans undam limpidiſſimam apparuit, ideoq; limbum & ipſi approperans Mercurii corpus ob undulationem terminis præciſis cernere non licuit: tandem cum limbi mutuo contactu ſe ſtringerent, in confinio lucis ſolaris exiens Mercurii corpus opacum rotunditatem ſuam, quam antea ſub figura oblonga oſtenderat, recuperavit; ita ut ejus diameter majori priſtinæ Ellipſeos diametro ferè æquaretur: & poſtquam limbus uterq; ad minutum ferè ſibi invicem adhæſitare viderentur, H. 8. Min. 36. *Oſcillatorii noſtri* Mercurius *totus diſco exiiſſe obſervatus eſt. Reliqua momenta & quæ pro correctione eorum notabantur Culminationes & Altitudines Tabella ſequens exhibet.*

Mercurius

Mercurius in Sole obſervatus Noribergæ *A. C. R.* 1690. Die ult. Octob a *Joh. Phil. Wurzelbaur.*

Temp. Horol. Oſcillat.				*Tempora Supputata*		
			Die 30 Octob. P. M.			
H.	M.	S.		H.	M.	S.
6	32	00	*Culminat os Pegaſi*	6	28	45
9	00	00	*Culm. Cap. Andromedæ*	8	52	17
9	04	00	*Culm. Jupiter.*			
			Die 31 Octob. A. M.			
6	30	00	*Cœlum undiq; nubibus obductum ut*			
7	30	00	*Solis exortus obſervari nequiret.*			
8	00	00	*Nubes ob occaſu verſ. Ortum propelluntur, & vi Ventorum ibid. ad Horizontem conſtipantur.*			
8	30	00	*Sol è nubibus emerſit, Mercurius in diſco ejus ſupernè in Tab. obſervatoria, à Verticali ad dextram (reverâ ad lævam) diſtans plus quam dim. dig. a limbo exiturus apparuit.*			
8	36	00	*Mercurius poſtquam undulanti limbo Solis ad Min. temporis adhæſerat, exiit ad 14° à Zenith ſeptentrionem verſus.*			

H.	M.	S.				H.	M.	S.
8	49	00	*Altitudo Solis*	10	05	8	38	38
8	59	45	*Alt. Solis*	11	10	8	47	48
9	07	10	*Alt. Solis*	12	10	8	56	24
9	50	00	*Alt. Sol.*	16	28	9	38	07
11	01	30	*Alt. Sol.*	21	31	10	56	32

Ratio diametrorum Solis & nuclei Mercurii, dum Lucido Solis diſco immorabatur, quantum per auram haud ſatis defæcatam conjici poterat, erat ut 1000 *ad* 8 ½. *Poſtea quam ad limbum Solis pervenerat, ejuſq; limbo undulanti ad Minutum ferè adhæſitârat & genuinam rotunditatem ſuam (quæ antea ex luce Diſci Solaris formam quaſi ellipticam mentiebatur) recuperârat, erat ut* 1000 *ad* 12 ½. *An*